

Johann Quistorp


Rector Universitatis Rostochiensis, D. Joh. Quistorpius ... Ad Exequias, Quas Filiolo mellitißimo B. Jacobo Sebastiano Lauremberg/ Parens Amplißimus & Excellentißimus Dn. D. Laurembergius, Ictus, Iuris Antecessor celeberrimus, parat. Omnes Academicos invitat

Rostochi[i]: Kilius, 1663

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756284465>

Druck Freier  Zugang






Uiac
orum
regium.

Vol. 241. (3.) <SON>





24
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS,
D. JOH. QVISTORPIVS,
ΘEOΛ. Prof. P. & Past. Dominicæ.

Ad Exequias,

Quas
Filiolo mellitissimo

B. JACOBO SEBA-
STIANO Lauremberg/

PARENS

Amplissimus & Excellentissimus

Dn. D. LAUREMBERGIUS, Jctus,
Juris Antecessor celeberrimus,

parat.

Omnes Academicos invitat.



ROSTOCHII,
TYPIS JOHANNIS KILII acad. Typogr. 1663.

44.

Homo est brevis quædam Oratio, vix ha-
bens aliud quàm Exordium & Epilo-
gum. Pro Exordio est hominis or-
tus, pro Epilogo ejus interitus.

Ab illo, ad istum, facilis est
Discursus.

RECTOR
ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,
D. JOH. QUISTORPIUS,
ΘEOΛ. Prof. P.



Hominem ex muliere natum, brevis esse vitæ Job. 14. v. 1. dies vitæ & peregrinationis nostræ esse paucos Job. 10. v. 20. Gen. 49. v. 7. exiguos Joh. 16. v. 11. illico prætercuntes 2. Cor. 4. v. 17. esse instar vaporis Jacob. 4. v. 14. togæ, quæ per usum, aut per tineam, sæpè per utrumque, corrumpitur Job. 13. v. 18. Psal. 102. v. 27. 109. v. 18. Ecclesiastic.

14. v. 58. instar umbræ fugientis, Job. 14. v. 2. declinantis Ps. 109. v. 13. instar herbæ quæ exaruit Ps. 102. v. 12. Ethnicus ille *Anaxarchus* se intelligere ostendebat, qui semicontusus in Tyranni cujusdam mortario fortiter exclamabat, Tunde, tunde Anaxarchi follem: Anaxarchum enim non tundis; Nullam præterea vitam propriè longam dici posse inculcabat, siquidem nec subsistat quando est, nec augendo producatur, sed accedendo recedat. Scilicet existimabat hic, corpus suum follem tantum & togam esse mutuo datam, vitam esse herbam quæ exaruit, & quasi umbra declinet, quasi vapor abeat. Quæ in re illis Christianis, à *Chrysofomo* præferebatur, qui adeò delicati sunt, ut non tantum togam hanc habeant in delitiis, sed & instar infantium immodicè ejulent, simul ac illa attrita sit, aut à spina aliqua, vel à prætereunte aliquo scindatur. Cui malo ut medelam facerent antiqui Patres, ostendunt Homiliæ Ecclesiasticæ, à piis veteribus scriptæ, brevitatem vitæ eos, subinde, singulos Creationis dies confi-

considerando, ostendisse. Aptè juxta & piè. *Primus* dies noctis & diei considerationem nobis præbet, certè in utroq; vitæ nostræ breviusculæ exemplar & imaginem. Nonne militia dies mortali in terra: & ut dies mercenarii dies ejus Job. 7. v. 1. 14. v. 6? vitam nostram cum die confert ipse Servator Joh. 11. v. 9. Nox autem etsi imago potius sit mortis, stylo scripturæ, est tamen & illa brevitatis vitæ nostræ Exemplar, teste Mose, qvæ vitam nostram vigiliæ nocturnæ, qvæ tantum quarta pars noctis est, & tres horas comprehendit, comparat Ps. 90. v. 4. idemq; Psaltes monstrat Psal. 130. v. 6. *Secundus* dies nobis ostendit creationem cælorum, qvàm sint dies nostri instabiles & parum durabiles, egregiè repræsentantium. Isti enim (cæli) præterqvam qvòd motibus suis vitæ brevitatem arguunt, ut vestimentum veterascent, ut indumentum mutabuntur Psal. 102. v. 27. *Tertius* dies nobis ob oculos ponit, Terram, aquam & herbas. Terram non possumus intueri, nec calcare, qv in simul nobis in memoriam redeat, tum prima nostri origo Gen. 2. v. 7. & memoria, pulverem nos esse, Ps. 103. v. 14. cinerem Gen. 18. v. 27. pulveris ramentum Job. 7. v. 5. luti tumulos, Job. 13. v. 12. vasa terrea seu fictilia, qvæ ad minimam percussione statim rumpuntur Rom. 9. v. 12. terram Eccles. 10. v. 6. tum prima illa sententia, qvàm Deus contra Adamum, totamq; ejus posteritatem, justè pronunciavit: qvæ pulvis es, & in pulverem reverteris Gen. 3. v. 19. Et hanc esse rationem, piè Dn. *Philippus* monet, propter qvàm, qvotiescunqve jejuniis, aliisq; omnibus humiliationis signis, justorum Dei judiciorum flagella, seu communia toti immissa regioni, seu particularia singularibus qvibusdam personis avertenda erant, inter alia signa etiam cinis capiti inspergebatur. Aquæ, qvas contemplamur in nubibus, in mari & fluminibus, idem testantur. Ita sanè, Nubes intueris? Audi respondentem Jobum c. 7. v. 9. Qvæ admodum nubes consumitur & abit, ita qv
descen-


descendit in sepulchrum. An mare & vastum hunc Oceanum, flumina? Audi respondentem Moſen: Deum dies nostros auferre tanquam inundationem aquarum Psal. 90. v. 5. Herbae & arbores, in campis & hortis, eandem nobis proponunt doctrinam: Omnis caro est ut gramen, & omnis gloria hominis, ut flos graminis; exaruit gramen & flos decidit. 1. Pet. 1. v. 24. est ut foenum transiens Pl. 90. v. 5. 6. 103. v. 15. Esa. 40. v. 6. Jacob. 1. v. II. ut folium arboris Eccles. 14. v. 18. Hinc & Philosophi veteres, hominem, arborem inversam, appellant. Nam praeterquam quod habeat radices suas in capite, quis unquam vidit eum regerminare, & vitam, quam semel deposuit, in hoc seculo resumere? pariter ut arbor inversa, de novo, nec ramos novos producit, nec crescit. *Quartus* dies nos vocat ad considerationem duorum istorum magnorum Luminarium caeli, Solis & Lunae. Sol oritur & occidit Eccles. 1. v. 5. cursum suum absolvit spatio 365. dierum, Zodiacus ipsi instar stadii, duo Tropici instar carcerum & metarum, atque haec omnia per minuta distincta sunt & gradus, quorum ne unum quidem punctum transgrediatur, puncta solstitiorum sunt limites, quos quam primum attingit, statim adducit habenas & retrogreditur. Ita etiam se habere in vita humana, jucundè *Atbanasius* annotat. Mundus hic illi instar curriculi, corpus & membra instar terminorum, atque omnia haec per gradus distincta sunt, immò per minuta; Puncta aeterni divini decreti sunt limites ejus, quaequam determinati, quos simul ac attingit, statim moritur. Pl. 139. v. 16. Luna ut nobis propior, ita etiam ejus rei, de qua loquimur, illustrius praebet exemplum, cum cursu, quem paucis diebus absolvit, tum mutationibus suis Psal. 89. v. 38. Esa. 60. v. 20. Eccles. 27. v. 12. itemque Eclipsibus, quibus singulis annis oppugnatam atque afflictam videmus. *Quintus* dies nos ablegat ad pisces maris, & aves caeli. Idem facit Ecclesiastes c. 9. v. 12. Homo nescit tempus suum (hoc est, horam & momentum mortis) sicut nesciunt pisces, qui capiuntur hamo malo, & aves; quae capiuntur laqueo: sic capiuntur filii hominis tempore mali, cum irruit in eos repente. Ad aves verò & pisces considerata vita nostra brevissima est.


Inter

Inter aves Aquilam vitæ nostræ vult esse speculum Jobus c. 9. v. 26. At hic an-
 non nobis vitæ nostræ declinationem, & morbos, qui eam breviorē reddunt,
 exprobrat? Ille, inquam, qui non moritur, nisi tantum progressu temporis per
 famem, cum rostrum ei ita grandescit, & incurvatur, ut impossibile sit ad pa-
 ssum suum aperire? Tempore Friderici II. Imperatoris Anno 1498. Piscis ob-
 servatus est, qui ultra annos 267. vixit. I nunc, ô homo, & de vitæ tuæ
 longitudine gloriare, quæ multo est brevior, & instabilior, quàm avium & pi-
 scium! *Sextus* dies nos ducit ad considerationem cæterorum animalium terræ,
 & hominis, de quo loquimur. Hic verò Ecclesiastes occidit: Eventum filio-
 rum hominis esse eventui ipsius bestię similem c. 3. v. 18. Fortè vita no-
 stra illorum longior est? Neutiquam. Nam Cameli & Cervi vita se ad annos
 100. extendit, Elephanti autem vita ad 200. aut 300. annos producit, quam
 longævitatē elegantissimis planè verbis miratur *Chrysostronus in Epistol. ad Cor.*
hom. 17. tom. 4. Et *Lutheri* nostri optima observatio est, hominem creatum
 fuisse sexto die, qui fuit quasi vigilia seu pridie quietis Domini, ut admoneatur,
 non esse eum in mundo positum, alium in finem, quàm ut *citò* redeat ad illum,
 qui eum ibi collocavit, & ut quietem suam in ipso quærat. Viden! ut sex die-
 rum Mosaicæ creationis consideratio, vitæ humanæ brevitatem nobis ostendat?
 Eandem ut penitus consideremus, fide satis oculatâ, ad librum experientiæ nos
 sæpius ducit Dominus. Ubi inter alia idem testatur facit B. *Jacobus Sebastianus*
Lauremberg, qui Anno 1659. m. Aprilis, in hanc lucem ingressus, quatuor An-
 norum infans, modo ex eadem egressus est. Morbum celeberrimi Medici no-
 stri D. Casp. March & D. *Wirdich* Prof. P. his depinxere verbis: *Acuti & Gra-*
vissimi morbi, quò periculose superiori anno decubuit, reliquæ, tenello corpori du-
bium semper, sive ut Medicè magis loquamur, neutrum valetudinis statum conciliarunt;
Vitiò, quantum conjectari licuit, quàm maxime Lienis & Mesenterio inherente. Sub
verno tempore sensim pejus habere cepit, febri erraticâ subinde & incerta per inter-
valla correptus, que tandem in continuam degeneravit, vehementius Spiritus robur,
vitalē quod supererat exiguum oppugnantem, unde paucos intra dies viribus prorsus
exhaustus, frustratò optimorum medicaminum usu, animulam placidè exhalavit. Sic
ipsum vitam instar umbræ transiit, & corpusculum in pulverem ac favillas solvi
*properat. Exemplo monstrat, ipsam *ψυχήν* nostram, sequi confestim *ἐξόδον!**
 id quod tacitè etiam philosophatum Moïsen illum *Θεοφιλέστου* primis suorum
 librorum titulis, Gregor. Nyssenus tradit. Ex florentissimâ natus est fami-
 liâ, Patre Amplissimo & disertissimo DN. JACOBO SEB. LAUREN-
 BERGIO J. U. D. Pandectarum Professore, Viro in elegantiori literatura
 versatissimo Adfines, Amico ac Collegâ nostro conjunctissimo, & Matre ELI-
 SABE-


SABETHA SPENGMANS, Piã. Quis nescit Avum paternum Virum Excellentissimum & Clarissimum DN. PETRUM LAURENBERGIUM Phil. & Med. D. ac Professore, dum in vivis esset, Celeberrimum, deq; Academicã juventute optime meritum, ejusq; Conjugem nunc Viduam m̃stissimam, Matronam à Deo dilectam MARGARETAM CRAMONS, DN. JACOBI CRAMONS Civis & Mercatoris hujus Reipubl. integerrimi, ejusq; Conjugis MARGARETÆ SIBETEN, Matronæ honestissimæ, & ex Nobili apud Britannos familiã ortæ, quæ jam annorum LXXX. vitæ ac miseriarum humanarum futura, intra paucos annos suorum funera efferri contpexit, filiam? Quis Proavum ejus Paternum, Virum Celebratissimum & Experientissimum DN. GUILIELMUM LAURENBERGIUM Phil. & Med. D. ejusdemq; ut & superiorum Mathematicum Professore, nec non Facultatis Medicæ Seniore Venerandum, & Practicum felicissimum in Prædio Salingensi, cui nomen Laureo monti, à quo & cognomentum primum accepit, quarto ab Ubiorum colonia milliari, parentibus honestis natum, & ejus Uxorem N. MEMMIAM Excellentissimi DN. D. PETRI MEMMII, Medicinæ Professoris Celeberrimi filiam. Quis deniq; alteram Proaviam JOANNAM LONGOLIAM, Nobilem Ultrajectensem Batavam, Matronarum Phœnicem & singulare decus? Nec minus notus Avus Maternus, Vir Spectatissimus & Integerrimus DN. SIMON Spengman Reipubl. Stralsundensis Magnæ autoritatis Senator, DN. HENRICI Spengmans dictæ Civitatis olim etiam Senatoris gravissimi & prudentissimi, nec non MARGARETÆ CORNELIÆ in Hollandia conspicuis eximiisq; natæ parentibus, filius. Avia verò Materna ANNA HAGEMEISTERS, ex præclara Hagemeisteriorum familiã oriunda. Ut jam taceam reliquos majores parvuli nostri, cum potius id sit ostentationis, quàm necessitatis, cum publicè hic testari possim, familiam Laurembergianam hoc peculiare hætenus habuisse, ut vix aut ne vix quidem degener aliquis in illorum numero repertus sit. His ortus noster B. LAUREMBERGIUS majoribus, optimam spem parentibus, mærore nunc quoque confectis, faciebat, quod satis apparet, ex literis Excellentissimi Patris ad me missis: Filiolus meus b. m. JACOB SEBASTIAN natus est Anno 1659. ipso Tiburtii die, seu 14. Aprilis, statimq; sequenti post die per sacratissimum Baptismi mysterium, Jesu & Ecclesiæ initiatus. Nihil de eo elatius glorior, id tamen pro vero ausim dicere, planè raræ eum fuisse indolis, memoriæq; insignis & ingenii solertis, summa sapuisse ultra ætatulam suam, ut quotquot eum ex amicis & familiaribus novère, sed & multi egregii Viri, vultum ingenium, morum amabilitatem, Orationisq; satis prudenter formatæ admirati sint sæpe blandimenta
Pieta-

Pietatem verò (quod omnium Palmarum reor) Spiritus s. instinctu & suggesti-
 onibus ira ex ore ejus semper resonare intelleximus Parentes, ut nos haut rarò ad
 lacrymas & devotionem puer accenderit igneam. Idemdem orabat illud, *Her*
Jesu Dir lebe ich &c. paucisq; ante obitum diebus interrogatus quid cogitaret,
 respondit, *daß ich werde bald bey G. Die/und ein heiliges Engelein seyn.* Obiit 22.
 Aprilis ipsa 2. Noctis, sine ullo cruciatu animulam exhalans, annor. 4. & 8. dierum.
 Si toties lethaliter vulnerari censendi sunt parentes, dicente *Ambrosio*, quoties li-
 beros dilectissimos, tanqv. surculos pectori adnatos à se avelli sentiunt, secun-
 dum nunc vulnus Parentibus his inflictum cernimus, ut non miremur, si plaga
 ista intimum cor & medullam penetrans, acerbissimum doloris sensum incusse-
 rit, vel suspiria occulta, vel apertas lacrymas excusserit. Ipsa natura, ut verbis
Augustini utar, nos ad tristitiam adigit, quando nos moriendo deserunt,
 quos amamus: quia etsi novimus eos non in aeternum relinquere nos man-
 suos, sed aliquantum præcedere secuturos: tamen mors ipsa, quam natu-
 ra refugit, cum occupat dilectum, contristat in nobis ipsius dilectionis affe-
 ctum. Interim non est, cur parentes nimium doleant, & sternotypia se gen-
 tilium dedant, qui, ultra vulgi opinionem felices, duo occupandi cæli in cæ-
 los præmiserunt pignora. Quemadmodum enim tintinabulis signari solet
 conjunctus plurium campanarum clangor: sic magnopere metuendum nobis
 est, ne infantiles singultus grandioris ætatis ejulatus propediem consequatur.
 Quod ne fiat, aut si omnino fieri debet, parcius fiat; tutissimum erit converti
 supplici mente ad Solem justitiæ, dum adhuc se nobis conspiciendum exhibet
 in meridie; qui, ut cum *Bernhardo* loquar, ad hoc ipsum venit in mundum, ut
 habitans in hominibus, cum hominibus, pro hominibus, tenebras nostras illu-
 minaret, labores levaret, pericula propulsaret. Quando igitur dicti Pueri hodi-
 erno die funus ducere constituerunt matissimi parentes, præterquam quod
 familiæ hujus, præsertim *CL. LAURENBERGII*; in Academiam nostram me-
 rita, id omnino exigant, quia inter *PALMARUM* ramos, qui cælorum Regi
 substernendi sunt, locum non ultimum obtinet extremum illud pietatis mû-
 nus, quod exequiis cohonestandis tribuitur; agite eximii Cives Academici, ho-
 die circa horam 1. pom. in templo *Jacobæo* convenite, hoc officium lubentes
 frequentes præstare, pro salute, privatâ & publicâ, Deum rogate, mortis vestræ
 memores estote, cogitantes illud scitum veteris Theologo-*J. C. Ti* dictum: *Ma-
 gis convenire, ut nos mortem apprehendamus, quam ut illa nos.* P. P. Rostochii
 sub Sigillo Rectorali 27. April. Anno 1663.









the scale towards document

C1 B1 A1 C2 B2 A2 C3 B3 A3 C4 B4 A4 C5 B5 A5 C6 B6 A6 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9

Patch Reference numbers on UTR

Image Engineering - Scan Reference Chart - TE263 - Serial No. 09A

ges ac Principes sæpè attoniti audivere : Sua-
minentis vim , non secus ac Demosthenici
petum imperij Proceres sæpè sensere. De
non tantum privati, sed & publici partibus,
inis forma, de religionis purioris vindicijs,
ibus rectè instituendis, litium prolaxis telis
ad publicam salutem conservandam necessa-
ovellorum nostri ævi, novas Utopias somni-
lut alter Sulpitius, studio, usu, experienciâ, &
sed & archivis actisq; publicis haustâ scientiâ
planè lepore differebat. Deniq; Encomio Lucij
storû disertissimû & oratorû jurisperitissimû
t. Accedebat naturalis cum decenti venustate
ta gravitas, in divino cultu pietas, in homini-
s, in negocijs expediendis dexteritas, in adver-
peris continentia, in fortunæ instabilitate
quâ bonæ conscientiæ scuto munitâ, omnes
umniarum, invidiæ & livoris ictus ac morsus
repulit. Aulicis negocijs gravibusq; causis
& occupatissimus fuerit, semper tamen
in respexit, ejus ut quondam alumnus, ita
as defensor, imò & excultor perpetuus fuit.
ioz. viro consultissimo Joanne Albino, pandectarum Pro-
bente, eidem in officio susceptus & in collegium Juridici
us fuerit; præstitit se quoq; in hac vitæ statione fidum
siones crebræ, publicæ curæ & molestiæ, eum aulicos &
iri & Labeonis Jcti exemplo annum quasi cum labori-
quibus tamen cum sensu nimis irretiri & aulæ astringi
caria viri consultissimi Christiani Obmichij J. D. exitij,
demicum sibi creditam, luculenter fœneravit. Virtuti-
n adversus affectuum motus, & adversitatum impetus
mavit, seq; invictum reddidit : ast à morbis corporis se-
otius quò animo fortior, eò semper fait corpore debiliore
um in itinere quodam officij ratione suscepto, correptus
ti initio typum tertianæ simplicis gessit, ita non multò
sentavit, & in ædis inducijs indultis, majori paulò post
suans, incrementum sumpsit, in quartanam degenerans,
Accesserunt lienis & mesaræi obstructions, & quart-
ples scorbutus, perennis itidem à capite ad fauces & pul-
alcens indelinens tussis, cujus vehementia, venula pul-
monum